

PRAEFATIO

servationem, quoad fieri posset conciliatam esse'; itaque ictum quem vocant metricum plerumque in ea vocabula quae ἔμφασιν habent incidere, ut in Men. 1076:

tú erus es, tu séruom quaere, tú salueto, tú uale;
in Asin. 772:

abs téd accipiat, tibi propinet, tú bibas¹.

Porro diversa vis pronominum non solum ex ictu metrico sed etiam ex ipsis formis haud scio an cognoscenda sit, ita ut inter *mi* et *mihi*, *eī* et *ēi*, *huic* et *huic*, *eius* (*huius*, *quoius*) et *eiius* (*huiius*, *quoiius*) easdem variae significationis subtilitates quae sunt inter varias in linguis Romanicis pronominum formas elucere credamus; fortasse etiam inter citius loquendi genus, *opust*, etc., et lentius, *opus est*; quamvis fatendum sit medii aevi scribas eiusmodi rerum maximam partem pessum dedisse. Velim tamen mecum credas Plautini aevi sermoni cotidiano versus Plautinos tanquam imaginem resonare.

W. M. LINDSAY.

Dabam Andreapoli,

MCMIII

idem accentus manet, v. g. πρὸς με, πρὸς πόλιν, sic Latinae *apud* accentus variatur, v. g. *apud me*, *apud templum*. Neque solum Graecae voces encliticae sed etiam Latinae accentum accipere solent quoties aut per se ipsae ἔμφασιν habent (v. g. *non ego sed tu fecisti*) aut ante aliam vocem encliticam stant (v. g. *ego illum vidi*).

¹ Etiam tum ubi non potuit Plautus ictum metricum cum accentu conciliare, credo vocem eam quae ἔμφασιν habet propria prosodia enotari solere. Ut enim in Men. 389 *tibi*, quod et in sententia accentum et in versu ictum metricum habet, etiam hiatu quem vocant prosodico distinguitur:

tibi | et parasitō tuo,

sic credo in Rud. 540 versum ab anapaesto non ab iambo incepisse:

tibi | aúscultauī, tú promittebás mihi,

et in Asin. 781 *deam* similiter disyllabice enuntiatum esse:

deam | ínuocet sibi quám lubebit própítiam,
deum nullum.